

1493. ix. 19. Febr.

225.

In Nomine Domini Amen. Ad perpetuam rei memoriam,
Splendor, venustas, & omnis honor Regie, & cujuscumque Ducalis
excellencie eo potissimum ordine eluere conspicitur, cum
sinceritatis, pure fidei, & benevolentie subditorum suorum
meminit, Jura quoque & Privilegia, quibus plebium equitas, ac
omnium dubiorum vices moderari consueverunt, ex plenitudine
potestatis sue novi roboris munimine confirmat, innovat, &
ratificat peremptoriter, Proinde nos Joannes Albertus Dei gratia
Rex Poloniae, nec non Terrarum Cracoviae, Sandominiae, Siyaviae,
Lancicivae, Cujaviae, Supremus Dux Lithuaniae, Ruspiae, Prussiae
ac Culmensis & Elbingensis, Pomeraniaeque Dominus & Haeres ac
Significamus tenore presentium, quibus expedit, universis presentibus
& futuris hanc notitiam habitevis, Quomodo Divino munere,
Prelatorumque Baronum & universorum Regni nostri Regnicor-
larum favore communi atque concordia, ad Regnandum in hoc Inclito
nostro Poloniae Regno primus Electus, tandem Sacro Culminis
Regis Diademate coronatus existens in penetralibus pectoris
nostri Regis revolvens, nihil magis Regium esse, quam gratias
& favores meritis dignos munificentis compensare Regalibus,
ad idque lucubrationes & sollicitudines nostras impendere Regias,
quo singuli subditorum in Jure, Justitia, moribus, consuetudine, &
libertatibus communibus justis & laudabilibus a Divis olim
Predecessoribus nostris Regibus & Ducibus Poloniae usque ad pre-
sentia felici nostri Regiminis tempora liberaliter concepis-
sentis, & observatis, non solum conservari, verum etiam com-
munis eorum status augeri, favor quoque ipse & affectus
communis nobis publicitus, tam in Electione, quam in Coro-
natione felici nostra per universos Regniculas prebitus,
per nos auctoritate, benignitate, & munificentia, Regis reddi-
possit, nec, non per errorem, aut improvide vel indelibera-
te, sed decerta scientia, innataque nobis benignitate, virtute,
favore, & deliberatione Regis nostris, omnia & singula
Jura spiritualia & secularia Regno, Terris, universis no-
stris successive dudum concepta, nova & antiqua, decrevimus,
confirmanda, super id, quod licet universis Terris literas & Pri-
vileg.

Privilegia concessimus, tamen specialiter attendentes egregiam vir-
tutem & animi constantiam Provisorum Proconsulis, Consulium &
universe Civitatis Sandominiensis Incolarum, hac praesertim tem-
pestate Regni nostri, post mortem Divi memoria olim Parentis no-
stri vacantis, cujus solio feliciter suscepimus, in nos exhibitum,
qui sicut olim maiestati Regiae Paternae, fideles^{ae} subiecti esse
consvenerant, sic ea morte assumpta sacrae Proli ipsius Regii no-
mini fideles & subiecti esse cupientes, neminem alium, quam
nosmet omni desiderio & affectu usq; ad nostri Electionem lo-
rotationemq; prosperatam visi sunt postulasse, propter quod nos
tante eorundem virtutis & fidei indicium memorabile, ac perpe-
tuum efficere, perpetuaq; munificentia Regia ipsos, ac Civitatem
predictam complecti, ac eisdem gratia ejusdem ac munificentiae
communis nostrae aliis Civitatibus sub simili Privilegiorum effectu
concede, participes efficere cupientes, ipsis motu, scientia, favore,
& deliberatione, similibus nostris omnes & singulas libertates,
Prerogativas, Privilegia, Indulta, Donationes, Literas, & munimen-
ta, Civitati predictae per Serenissimos Illustrissimosq; Praedecessores
nostros Reges & Principes Regni nostri Poloniae sub quibuscumq;
modis conditionibus & tenoribus, quosquidem hic habere volumus
promissis, juste tamen rationabiliter & legitime concessas, & con-
ceptas, in omnibus punctis, clausulis, passibus, & articulis, robo-
randas, confirmandas, ratificandas, & gratificandas, ac roboran-
da, confirmanda, ratificanda & gratificanda duximus, robo-
ramusq; gratificamus, ratificamus, & confirmamus, tenore pre-
sentium mediante, volentes, decernentesq; illas & illa veras,
perpetuas, indubias & inviolabilis firmitatis robur obtinere
in aevum, promittentes illas & illa similiter in omnibus
punctis, conditionibus, positionibus, tenoribus, & articulis, fir-
miter & inviolabiliter tenere, habere, & observare, teneriq;
haberi, & observari, facere aeternae. In cuius rei testimonio
sigillum nostrum presentibus est subappensum, actum
In Conventione Piotrowsiensi Generali Feria tertia ante Domini-
nicam Invocavit. Anno Domini millesimo quadringentesimo
nonagesimo Tertio, Presentibus ibidem Illustrissimo Principe

cipe Reverendissimis Reverendisq; in Christo Patribus Dominis
 ac magnificis, Venerabilibus Generis, Strenuis ac Nobilibus Fri-
 derico Electo Confirmato Cracoviensi, Andrea Rora Archiepiscopo
 Theomuricensi et Coadjutore Leopoliensi, Petro Wladislaviensi,
 Uiele Posnaniensi, Mathia Chelmensi Episcopis, Nicolao
 Premisliensi, Petro Kamenezensi postulatis Ecclesiarum,
 Joanne Amor de Tornow Castellano, Spitcone de Jarostaw Pa-
 latino Cracoviensibus, Joanne Sudeva Calisiensi, Nicolao de
 Kutno Lanciensi, et Capitaneo majoris Polonie Generali Jo-
 anne de Opporow Krestensi, Mathia de Stuzow Inowladislavi-
 ensi, Andrea de Jurtow Ravensi Palatinis, Joanne de Ostrog
 Castellano Posnaniensi, Creslao Cancellario, Petro Thesaurario
 et Capitaneo Cracoviensi Generali de Hurzwanki, Gregorio de Lu-
 branu Scarbiniensi et Sancti Floriani Ecclesiarum Preposito
 vice Cancellario, Regni nostri, Andrea de Samotuby Calisiensi,
 Sandigorio de Czarnkow Gnesnensi, Nicolao de Hurzwanki Sira-
 diensi, Andrea de Wroczyn Lanciensi, Andrea de Olesnica San-
 decensi, Andrea de Janczyn Woyniensi, Nicolao de Ostrow Bie-
 uensi, Stanislawo de Syddowiec Radomiensi, Ambrosio Pampouski
 Rospeniensi, Stanislawo Kmita de Wisniza Sandecensi et Scipu-
 sij Capitaneo, Raphaelo de Leszino Curie nostre Mareschalo
 Petro de Opalenica Posnaniensi, Martino de Skotniki Sando-
 miniensi, Petro de Ucharzyc Sira diensi, Florianio de Gay
 Lanciensi, et Nicolao de Szawin Gostinensi Judicibus, ceterisq;
 Prelatis Bannibus, Gravis Proceribus, et Subditis nostris ad
 premissa testibus sincere devote et fidelibus nostris dilectis
 Datum per manus prefati Venerabilis Creslai de Hurzwanki
 Regni nostri Cancellarij sinure nobis dilecti, Creslaus Episco-
 pus et R. P. Cancell. Relatio ejusdem Venerabilis Creslai
 de Hurzwanki Regni Polonie **Cancellarij.** (L. S.)

[Faint, illegible handwriting, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is mirrored and difficult to decipher.]